

ionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus praeter alias poenas adversus non residentes sub Paulo III. impositas et innovatas ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiae, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum illos fabricae Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventionem vel compositione, quae pro fructibus male perceptis appellantur, ex qua etiam praedicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque privilegiis cuicumque loco aut fabricae concessis.

Quae dispositio, licet loquatur de Episcopis, eadem tamen statim extenditur etiam ad parochos, ut expresse subjungit Concilium, ibi: „Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum et poenas de curatis inferioribus et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, Sacrosancta Synodus declarat et decernit.“

Tolerari potest, quod parochus parochiae tenuis paucarum animarum non resideat in parochia, quousque per unionem alicujus simplicis beneficii vel alio modo suppleatur ejus congrua, dummodo accedat illuc ad celebrandum festis diebus, et quando vocabitur pro Sacramentorum administratione. S. Congr. Episcop. 10. Jan. 1579.

Si tamen id Episcopus nolit tolerare, parochus tenebitur obedire, ut patet ex sequenti decreto: Cum Episcopus Calliensis nuper edixerit, ut parochialium Ecclesiarum Rectores in suis Ecclesiis resideant, petit Curatus parochialis Ecclesiae s. Angeli: an et ipse teneatur residere, cum redditus Ecclesiae sint tenuissimi, ejus Ante-

cessores supra hominum memoriam nunquam resederint, Ecclesia ipsa circiter duobus millibus passuum dumtaxat a civitate distet, et sex vel septem familias tantum habeat, neque ipsi parochiani quidquam curent de residentia pastoris. S. C. C. censuit: Oratorem non excusari a residentia ob causas superius expressas, ideoque oportere ipsum parere edicto Episcopi hac in re edito. Ita in terminis apud *Pignatellum* tom. 7. consult. canon. consult. 4. n. 18. Quod idem tradit *Schmalzgrueber* ad tit.: *de Cler. non resid.* n. 11.

Parochus debet residere in loco, ubi sita est Ecclesia paroch., etiamsi esset ei datus Coadjutor ratione infirmitatis. Die 19. Maii 1708. *Nucerina Paganor.*

i) Extra Paroch.

Vd.: *Resid. parochi* (int. paroch.; mutat. loci etc.; p. 165 decr. Greg. XVI.).

k) Parochi, qui duas in sua parochia habet Ecclesias paroch.

Vd.: *Resid. Canon. Par.* (qui duas etc.).

Spoletana.

(Conc. Tr. c. 1. sess. 23. De ref.)

In Congregatione diei 22. Jun. 1668 supplex exposuit parochus Villae Lapidiae, quod priscis temporibus animarum curam ejus Antecessores obibant in asserta parochiali Ecclesia sub invocatione s. Michaelis archangeli; eadem vero collapsa abinde citra functiones parochiales exequi coeperunt in Ecclesia seu Oratorio, ut asserebat, confraternitatis s. Bernardi. Quoniam vero, fidelibus concurrentibus ad b. Virginis iconem in antiqua parochiali depictam, cum abundantia elemosynarum copia, aedificium praememoratae Ecclesiae s. Michaelis in decore instauratum et mansiones contiguae decenter constructae fuerunt, praetensionem

idem parochus excitavit super jure exercendi animarum curam in Ecclesia noviter restaurata sive aedificata, habitandi domum annexam atque oblationes praelaudatae imagini elargitas ac in posterum exhibendas ministrandi. Reportata itaque diffusa Episcopi tum temporis relatione, quae modo in sumario describitur, tria exposita fuerunt dubia ad enixas preces parochi tantum informantis, videlicet:

I. *An dicto parochi jus competat exercendi curam animarum caeterasque functiones parochiales in dicta Ecclesia s. Michaelis archangeli restaurata?*

II. *An eidem jus competat habitandi domum contiguam illiusque commoditate fruendi?*

III. *An eidem debeantur oblationes factae et faciendae praedictae imagini b. Mariae virginis?*

Super quibus responsum prodiit

Ad I. et II.: Affirmative; *ad III.*: dentur decreta.

Iterum vero isthaec controversia revocata fuit ad trutinam in S. Congregatione, ea tantum in folio addita notabili facti expositione, quod subinde partes transigere duxerunt, adeo ut parochus promiserit Sacramenta ministrare functionesque ecclesiasticas explere in Ecclesia s. Bernardini loco alterius s. archang. Michaelis a S. Congregatione contemplatae. Sub die igitur 26. Februarii anni 1695 partibus utrinque informantibus bina proposita fuere dubia:

I. *An concordia facta inter modernum parochum et parochianos die 4. Junii 1689 sit observanda? Et quatenus negative;*

II. *An et in qua parte sit standum vel recedendum a decisis sub die 22. Junii 1686?*

Dilataque resolutione sub die 12. Martii subsequentis placuit EE. PP. respondere:

Ad I.: Negative et quatenus adsit necessitas, injungendum esse Episcopo, ut desuper provideat prout de jure.

Ad II.: In decisis.

Sub his parochus expeditionem hujus controversiae operam navans iterum Sacri Concessus sapiens imploravit oraculum super recensito III. dubio: „*An parochi debeantur oblationes factae et faciendae imagini b. Virginis?*“ asserens decreta, quae danda esse S. Congreg. censuit, nullatenus occurri in terminis oblationum factarum in ipsa Ecclesia parochiali citra titulum confraternitatis, quam ob rem declarari expresse supplicavit, administrationem sibi competere dictarum oblationum. Hinc in Congregatione diei 16. Apr. 1695 prodiit rescriptum: „*Spectare ad parochum cumulative cum Sanctesii.*“ Sub his tum temporis Episcopus Spoletanus, facultatem assumens, quam sibi tradidisse asseruit S. Congregationem, providendi prout de jure, quatenus opus fuisset; accessu instituto auditisque utrinque partibus sententiam protulit, quod attemptata insuperabili difficultate parochianorum recipiendi Sacramenta in Ecclesia s. Michaelis, itineris difficultate et locorum intercapedine, parochus teneatur sacr. synaxim necnon oleum sanctum in Ecclesia s. Bernardini retinere ac per se ipsum vel per unum ex Capellanis dictae Ecclesiae s. Michaelis omnibus diebus festis de praeepto in eadem Ecclesia s. Bernardini celebrare ibique doctrinam christianam exponere exceptis solemnioribus quibusdam expressis festivitatibus, in quibus parochiani incruento sacrificio interesse deberent in Ecclesia s. Michaelis ibique Sacramenta percipere; praeterea Parochus vel Capellanus habitare debeat vel saltem continuo pernoctare in aliqua domo, si quae sit, in dicta Ecclesia s. Bernardini, vel prope ipsam, dummodo communitas

dicti loci sufficientem praestet commoditatem expensis propriis. Quatenus Parochus haec omnia non per se ipsum sed per dictum Capellanum explere velit, idem Capellanus ratione servitii consequeretur emolumentum, quod tum recipiebat ab Ecclesia s. Michaelis ex eleemosynis, quae ibi colliguntur, et quatenus dictum emolumentum satis non sit, jus sibi idem praesul reservavit providendi; idem vero Capellanus diebus, quae non observantur ex praecepto, accedere deberet ad Ecclesiam s. Michaelis ibique sacerdotales operas impendere, quemadmodum latius ex documento, quod in summano dabitur. Huic sententiae partes minus acquieverunt, sed diu ejus executione neglecta subinde appellatione interposita ad A. C. litigium acriter instauratum fuit; tandem vero deducta controversia ad Sacr. Congregationem novaque impetrata audientia in plena Congregatione diei 1. Septbr. ultimo elapsi, impraesentiarum Sanctesii villae Lapidiae alique litis consortes, late adductis juribus, recessum praestolantur a decisio sub die 22. Jun. 1686 et 12. Martii 1695, necnon sub die 16. Aprilis 1695 quoad Parochi jus exercendi functiones parochiales in Ecclesia s. Michaelis, et habitandi domum contiguam, necnon etiam administrandi cumulative praememoratas oblationes, eo sub obtentu, quod mox dictae Ecclesiae s. Michaelis nunquam animarum cura incubuit, vel certius quia jam inde a priscis temporibus ad Ecclesiam s. Bernardini translata fuit. Contendunt quoque Sanctesii, nullatenus posse Parochum munus suum exequi mediante dicto substituto, qui est unus ex Capellanis stipendiatis cum eleemosynis collectis in saepedicta Ecclesia s. Michaelis; eorum vero Capellanorum electionem ad se ipsos spectare subtexunt approbante Episcopo.

Consuetudo itaque super novis precibus requisita informatione, modernus Episcopus, caeteris admissis, contendit jam ab anno 1572 animarum curam Villae Lapidiae translatum fuisse ad Ecclesiam s. Bernardini cum consensu parochianorum et confraternitatis ibi erectae. Anno vero 1663 circiter fidelium concurrente munifica pietate, restauratam sive noviter aedificatam fuisse, prosequitur, Ecclesiam s. Michaelis, quae temporum injuria corruebat, integra tamen permanente muri parte, in qua b. V. Icon. expressa comperiebatur, in eaque nova Ecclesia populum Villae Lapidiae tres deputasse Sanctesios pro eleemosynarum administratione, binis institutis Capellaniis cum annuo stipendio sc. 35 et cum onere missarum necnon confessiones excipiendi respective. Indubium propterea asserit Episcopus, quod Ecclesia s. Michaelis nunquam fuit parochialis nullumque in ea praeter modernum Curatum vel resedissee vel parochialia exercuisse nec ibi Sacramenta administrari debere subdit ob loci asperitatem sine gravi animarum dispendio. Ecclesiam vero s. Bernardini ab anno 1572 curatam fuisse et populo commodam cum domo parochiali idem relator asserit. Hinc censet cogendum esse Parochum, ut ibi residentiam faciat, neque teneri Capellanum s. Michaelis coadjutoris munus exhibere, ut latius ex relatione circumferenda. At moderno parochi exaggerante summo jure definitam jam fuisse hanc controversiam a S. Congregatione ac rite recteque provisum extitisse ab Episcopo praedecessore; superest, quod ex utrinque adductis sapiens EE. VV. oraculum prodeat sub hisce concordatis dubiis:

I. An sit standum vel recedendum a decisio quoad primum et secundum dubium sub die 22. Junii 1686 et 12. Mart. 1695 in casu etc.?

II. An et in qua Ecclesia ex praedictis Parochus teneatur residere seu potius possit residere in alterutra?

III. An Parochus teneatur retinere continuo Vicecuratum seu alium sacerdotem et Capellanum ad exercendam curam in Ecclesia s. Bernardini intus Villam Lapidiam ejus propriis sumptibus et expensis seu potius sit servanda sententia Episcopi?

IV. An sit standum vel recedendum a decisio quoad tertium dubium sub die 16. Apr. 1695?

V. An et ad quos spectet deputatio Capellanorum?

S. C. C. resp. ad I.: Recedendum a Decisio;

ad II.: In Ecclesia s. Bernardini;

ad III.: Satis provisum;

ad IV.: In Decisio;

ad V.: Audiatur Episcopus.

Die 13. Apr. et 16. Nov. 1715.

l) Parochi et Magistri Theolog.

Si Theologus (Magister s. Theologiae) habens praebendam, legitime obtineret parochialem, teneretur in ea residere, amissis distributionibus quotidianis et aliis emolumentis, quae tantum deservientibus dari solent, in officio autem arbitrio Ordinarii alium deputare debet assignato ei competentis solario.

Declaratio S. C. Tr. Interpret. ad cap. 1. sess. 5. De ref. (Edit. Gallemart.)

Canonicatum et magistralem praebendam obtinens cum parochiali, si in ea, ut tenetur, resideat, fructus canonicatus et praebendae percipere potest, ita tamen, ut quotidianas distributiones amittat atque alia praeterea, quas absentes justa de causa percipere non possunt. In praebenda autem magistrali idoneum virum sibi substituatur, qui ex veteri instituto pro-

positum sibi praebendae munus obeat s. Scripturae interpretandae.

Ibidem.

Theologus legens, quamdiu leget, pro residente habeatur et recipiat omnes fructus praeter distributiones quotidianas, praesupposito quod adsit massa grossa vel praebenda.

Ibid. p. 24.

Vd.: *Resid. Archid.* (Vice Aquen).

m) Personalis.

Vid.: *Resid. formalis et materialis.*

Parochus tenetur residere personaliter et non alio modo satisfacit muneri suo, etiamsi populo per alium aequae bene et forte melius serviatur. Unde Parochus non satisfacit praecepto residentiae suaeque conscientiae, si resideat quidem personaliter in parochiali, sed totam curam relinquat Capellano, nulla per se ipsum munia parochialia obeundo: *Barb. de offic. et potestate Parochi part. 1. cap. 8. n. 41. cum aliis ibi citatis; Possevin. de offic. Curati cap. 1. n. 10., Reiffenstuel lib. 3. Decretal. tit. 4. §. 3. n. 85.; Parochi enim cogendi sunt ad subeunda per se ipsos et non substitutos ea munia, ad quae tenentur. Tolerandi autem, ut per substitutos suppleant in illis tantum casibus, in quibus expressis verbis Canonum et Decretorum Concilii permissum est eis, ut per Vicarios Coadjutores possint Officio suo fungi. S. C. C. in una Nullius 3. Jul. 1591. Residere enim est Ecclesiae deservire per se ipsum; cap.: *Quia nonnulli* 3. et cap.: *Relatum* 4. de Clericis non residentibus. Unde in cap.: *Extirpandae* 30. de Praebend. §.: *Qui vero* expresse sic statuitur: Qui vero parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium (Capellanum sive Cooperatorem) sed per se ipsum illi deserviat, in Ordine, quem ipsius Ecclesiae cura requirit. Vide*

Monacell. part. 1. tit. 16. formul. 2. num. 2.

n) Tempus absendi.

Vd.: *Resid. Par.* (licentia absendi; oblig., decr. Greg. XVI.).

Parochi non possunt abesse a suis parochiis, neque per duos menses ipsis a Concilio concessos, absque licentia Episcopi. *Barb.* in Summa apostolica decis. verb.: Parochus quoad residentiam n. 6., *Fagnan.* lib. 3. decretal. in cap.: *Relatum* 4. de Clericis non resident. n. 32., qui omnes referunt, S. C. Concilii censuisse, quod Parochi non possunt sic abesse per duos menses, immo nec per hebdomadam absque licentia Episcopi, quae, causa cognita, et in scriptis concedenda est. Et sic tenet etiam *Piasecius* part. 2. prax. Episcop. cap. 3. art. 3. n. 55., *Lessius* lib. 2. de iustitia et jure cap. 34. dubitat. 29. n. 259., *Ugolin.* de offic. Episcop. cap. 14. §. 5. n. 2., *Barbosa* de offic. et potest. Episcopi part. 3. alleg. 53. n. 96., et de offic. et potestate Parochi part. 6. cap. 8. n. 55. et super Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 1. n. 67. cum aliis ibi citatis contra *Navar.* in Manual. cap. 25. n. 121. et alios apud *Barbosam* locis citatis, existimantes in duobus mensibus a Concilio concessis posse Parochum ex justa causa abesse continue vel divisim sine licentia Episcopi. At veritas nostrae conclusionis clare patet ex verbis Concil. in cit. sess. 23. de reform. cap. 1., ubi dicit, quod, quodcumque eos abesse contigerit, debere causam esse prius cognitam et probatam per Episcopum, ibi: „Quodcumque eos causa prius per Episcopum cognita et probata abesse contigerit... discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant“, quae verba satis clare indicant, etiam pro

primo bimestri a Concilio concessa non posse abesse sine licentia Episcopi. Et idipsum declarasse S. C. Conc. ad cit. cap. 1. sess. 23. de reform. refert *Garc.* part. 3. de beneficiis cap. 2. n. 23. Aliamque talem declarationem refert idem *Garc.* part. 9. de beneficiis cap. 2. n. 295. asserens, quod cum Episcopus Abulensis de anno 1693 dictam S. Congregationem inter alia consulisset: *An Parochi possint abesse duos menses absque Ordinarii licentia, ex causa, quae sibi videtur justa?* Resp.: „Eos minime abesse posse absque amplitudinis tuae (sive Episcopi) licentia.“

Immo ad hoc, ut Parochi possint etiam per bimestre a Concilio concessum abesse, non sufficit licentia petita, nisi etiam fuerit obtenta et in scriptis data. Ita *Abbas* in cap.: *Relatum* 4. de Clericis non resid. n. 5. et alii id desumentes ex verbis Concilii loc. cit. ibi: „*Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam etc.*“, ex quibus patet, quod non sufficit licentiam illam dumtaxat peti, sed oportet, eam etiam concedi, et quidem in scriptis. Si autem Parochus postulanti Praelatus seu Episcopus renueret licentiam concedere, posset haberi recursus ad Superiorem Praelati seu Episcopi, et subsistente rationabili causa, posset idem Superior compellere Praelatum inferiorem ad eam licentiam concedendam, prout censuit S. C. C., ut refert ac tenet *Garc.* part. 3. de beneficiis cap. 2. n. 37. et seq. et alii.

Occurrente tamen causa aliqua gravi et necessaria subito abscedendi, quae tantam celeritatem requirat, ut non patiatur dilationem seu sit periculum in mora petendi et expectandi licentiam, tunc Parochus, relicto idoneo Vicario, discedere poterit absque praehabita licentia Ordinarii, quia necessitas non habet legem; cap.:

Quoniam 1. qu. 7., cap.: *Sicut* 11. dist. 1. de consecr., cap.: *Consilium* 2. de observ. jejuniar., cap.: *Omnes* 1. de Feriis, cap.: *Consuluisti* 3. de celebr. Missarum, cap.: *Quod non est licitum* 4. de Regul. Jur.; ita tamen, ut hujusmodi Parochus, quamprimum poterit, teneatur certiorare Ordinarium de tali suo discessu atque necessitate urgente, ut is de causa cognoscat et licentiam concedat, nisi sit brevi reversurus: *Abbas* l. c. n. 6., *Garcias* l. c. num. 34. et alii passim. Et sic declarasse S. C. C. referunt *Garcias* l. c. num. 34., *Barbosa* in Summa Apostol. decis. verb.: *Parochus quoad residentiam* num. 9.

Parochus non potest per hebdomadam abesse a sua Ecclesia, non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbato. S. C. Concil. apud *Garcias* p. 3. de benef. cap. 2. num. 23. in tertia declarat., *Barbosa* de offic. et potest. Parochi num. 56. Immo nec potest abesse ultra duos dies, si adsit Constitutio Episcopi prohibens Parochis, ne ultra biduum sine sua licentia a propriis Ecclesiis absint; tunc enim Parochi, etiam stante causa rationabili et constituto idoneo Vicario, non possunt ultra biduum abesse sine licentia Ordinarii. Valet enim Constitutio Episcopi, ne Parochi possint abesse ultra duos dies sine licentia, ut declaravit S. C. Conc. apud *Garc.* l. c. in n. 23. in 1. declaratione; *Barbos.* de offic. et potest. Parochi l. c. n. 57. Quinimmo potest Episcopus prohibere Parochis sub poena pecuniaria arbitraria, quae tamen dimidium non excedat, ne ultra biduum ab Ecclesia sua possint abesse. Non tamen id prohibere potest sub poena excommunicationis latae sententiae. S. C. Conc. ad cit. sess. 23. cap. 1. de reform. testibus *Garc.* l. c. in Summa n. 7.; et sub poena pecuniaria esse permissum cen-

suit eadem S. C. Conc. in Trevirensi 11. Febr. 1628 apud *Barb.* de offic. et potest. Paroch. part. 1. c. 8. n. 45. et apud alios.

o) Tempore pestis vel aeris insalubr.

Vd. p. 162: *Mutatio etc.*; p. 167. 168. 169.

Liceat Sequentia afferre ex Benedicto XIV.:

Illud ab omnibus indubitanter admittitur, quod quicumque curam gerit animarum ac residendi obligatione tenetur, non potest a designato sibi residentiae loco recedere, ut pestis periculum effugiat; ideoque saeviente licet peste et residere debet et residentiae non materialis tantum sed etiam formalis, ut inquit, onera adimplere, operando nimirum et laborando pro spiritualibus et corporalibus concreditae sibi plebis necessitatibus. Gravissima pestis Mediolanum invasit, dum s. Carolus Borromeus illius civitatis Archiepiscopus sedebat. Cum autem Sanctus Praesul animo forte prospiceret, non neminem fore, qui parum aestimans incumbentem sibi animarum curam facile consilium coepisset, ut alium in suas vices substitueret seque a residentiae loco subtraheret, dubium hoc ad Congregationem Concilii definiendum detulit: num scilicet residere teneretur, qui curae praeerat animarum, quamvis urgeret periculum contrahendi pestem et ex illa occumbendi? Responsum autem fuit: residendi obligationem vel tum vigere eaque obstringi non modo Parochos sed et Episcopos, quibus Pontificia quoque Gregorii XIII. accessit approbatio. Unde post ejusmodi rescipta sive resolutiones aditus locusque amplius relinqui non potest eorum doctorum opinioni, qui affirmarunt et docuerunt, licere ei, qui animarum curam exercet, a residentiae loco abscedere, modo Sacerdotem